

ex Juliano proponebat casum, ubi emtor dolo carebat, aut propter dolum serui caussam venditioni dantem venditio nulla erat. Potuisset ergo hoc ultimo casu minor manumissum vindicare, si fauor libertatis non obstatisset. Deficientibus ergo omnibus aliis actionibus, actio de dolo minori contra manumissum decipientem danda erat, add. Wissenbach. ad ff. disp. 13. th. 34.

### §. XIX.

Haloandri editio textum in *d.l.7. pr. ff. de dol. mal.* paulo aliter quidem, nihilominus tamen planum etiam & nostræ interpretationi conformem exhibet. Ita scilicet: *siue enim accipimus carere dolo emtorem, ut ex emto teneri non possit: siue nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est, (quod & proponitur,) non inducitur in integrum restitutio, nam aduersus manumissum nulla in integrum restitutio locum habet.* Et quid tandem? posito, quod Ulpiani locus æger & per deletionem duarum linearum recreatus fuerit, de quo nos adhuc dubitamus; nihilominus tamen adhuc restant alii textus supra §. XIV. adducti, qui nondum recreati sunt & qui tamen æque, si non magis, hypothesi illi singulari obstant.

### §. XX.

Venimus nunc denique ad quæstionem, quæ principale caput dissertationis nostræ constituit, quando scilicet *dolus caussam contractui dedit, ubi quæritur: an ex tali contractu bonæ fidei dominium transferatur?* negant Huberus in *prælect. ff. tit. de dol. mal. §. 5.* Wissenbachius ad ff. disp. 13. th. 34. Schilter *prax. jur. Rom. ex II. §. 20.* ibi: *quantumuis ex vindicatio aduersus tertium possessorem quo-*

C 3

que